

CHRISTOPHORI  
BESOLDI  
JC.

VITÆ ET MORTIS  
*consideratio Politica,*

Libellis tribus comprehensa,

*Quorum*

- I. DE VITÆ SUSTENTATIONE,
- II. DE CURA SANITATIS,
- III. DE SEPULTURA AGIT.



ARGENTORATI,  
Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XLI.

# LIBER PRIMVS.

## CAPUT I.

### *De Agricultura, Pecuaria: & Usura.*

**V**ita, quam jucundam omnibus opto, acerba mihi est; & Mortem idem in votis habeo, ut vivere queam cum Christo; sicque nunc de vita, in gratiam aliorum; me verò, ut exerceam jugi abitus recordatione, de morte pariter agam. At cum haud possim id more, jureque Theologorum; politicè saltem id faciam, & per Discursum: ne cæcens sensus, & verba aliorum; sine præjudicio partium, sectæque cuiusvis.

II. Non autem subditos solum habere; sed & ij, vivendi ut habeant facultatem, providendum est Imperandi omnino. Quare reprehensus justè fuit ab Alexandro Magno, Dinochares Architectus, quod in urbe Alexandria condendâ, quam in montis altissimi speculâ suadebat collocari, alimonii non perpenderit rationem. Plutarchus *in vita Alexandri*.

III. Sed quemadmodum in naturalibus rebus, partes totius constitutionis, non hoc sunt, quod ea, sine quibus totum consistere non potest, (nam & aër non ad hominis pertinet constitutionem, licet eo sine, nequeat vivere ullus) sic haud dubiè, ne civitatis quidem partes esse existimari omnia debent, quæ necessario Civitatibus adsunt. Et ita, cum opes suppetere debeant Civitatibus, ipsæ tamen in Civitatibus parte non numerantur, Aristoteles *lib. 7. politic. cap. 8. à princip.* proindeque haud ad constitutionem, sed ad conservationem, earum tractatio pertinebit.

IV. Hic alimenta primùm, deinde artes ut suppetant necesse est: Vita namque multis eget instrumentis. *d. c. 8. lib. 7. politic.* Quæstuaria idcirco, seu scientia rem familiarem acquirendi; vel est Naturalis, vel Artificialis.

V. Naturalis, vel viva, ex pecoribus: vel mortua ex fructibus terræ. Ad artificialem, ac quasi præternaturalem: Mercatura & artificia cætera referuntur. Aristoteles *1. politic. cap. 5. & 6.* Estque artificialis longè inferior naturali. Inde Judæi, intra terræ suæ fines, iis opibus contenti, quas illic natura producebat, vitam procul commerciis agitavêre. Petr. Cunæ *1. de Repub. Hebræor. cap. 4.* Et iterum invisi semper Aegyptiis fuêre Judæi, nullam magis ob causam, quàm ex dissimilitudine vitæ studiorumque. Omnis enim plebs Aegyptiorum, secularibus artibus dedita, sub umbra urbium intra mœnia desidebat: eamque Israëlitis, ab omni ævo pastoribus infestam fecit, quod vires ipsorum, vegetosque & acres spiritus, homines sedentarii, opificesque non ferrent. Cunæus *d. lib. c. 5.* Quare etiam toties illud libris politicorum Aristoteles iterat, optimam Rempublicam esse, cuius cives ex re rustica, atque ex pastione vivant, eò quod ij, ex Legibus, se, resque suas regant: cum habeant ex opere suo, quantum satis est ad vivendum;